

The following *ovationes* were delivered on April 24, 1992, at the annual banquet of CAAS in the Villanova Room, Villanova University, Villanova, Pennsylvania.

OVATIO: PATRICIA C. KNOX

Ante nos hodie stas exemplo pietatis, fidelitatis, sapientiae. In tua vita multas res perficisti. Dilecta uxor et devota mater, quoque dedicata et eruditissima magistra linguae Latinae fuisti. Salutamus te pro omnibus rebus quas aliis et his recentissimis annis gessisti.

Amor Linguae Latinae primo in te floruit quando carpsisti dies longas in Collegio Carrolorum in civitate montibus notiori. Ibi tua scientia ita crevit ut studeres artes liberales in aliis institutionibus superioris eruditionis, scilicet Collegio Muhlenbergensi, Universitate Lehighensi, et recentissime, Universitate Pennsylvaniae Philadelphensi. Tu vixisti in civitate Pennsylvania quo firmitas ipsae terrae te etiam firmiorem tua constantia ad Linguam Latinam docendam fecit.

Ipsa momento tui adventus in tua postea casa docendi, schola Guglielmi Allenionis, omnes docentes in te personam profunda pietate et facultatibus invenerunt. Aluisti infantem rationem Linguae Latinae ad altitudinem nec priusquam visam. Nunc tibi quinque diversae rationes instruendae sunt multis attentis discipulis.

Hi discipuli, "tui filii et tuae filiae," iterum atque iterum bene meruerunt in certaminibus localibus et nationalibus. Partivisti te cum multis sodalitatibus comitatum, scilicet Legione Americana Classica, Societate Classica Philadelphiae et Pennsylvaniae et hac egregia Societate Civitatum Medio-Atlanticarum.

Tuis assiduis actionibus semper fuisti magistra extraordinaria, cui semper non solum scientia linguarum classicarum interest sed etiam cura personalis et perpetua omnibus tuis discipulis. Pro talibus meritis nos maximo cum gaudio tibi honoramus. Plaudamus Patricia C. Knox.

*St. Joseph's Preparatory School*

HENRY BENDER

OVATIO: PHILIP N. LOCKHART

Exegisti monumentum aere antiquius,<sup>1</sup> quod non etiam administratores edaces potuerint diruere<sup>2</sup>—partem studiorum Graecorum Romanorumque in Collegio Dickinsoniensi, quam magnitudinem amplificavisti, pro duobus quattuor professores emeritus legans. Multaque pars tui vitabit Lethen; usque tu cresces laude discipulorum recens.<sup>3</sup> Nam magister magistrorum eras, et plus quam quinquaginta linguae Latinae magistri, a te ipso in scholis locati, disciplinae egregiae exemplum tuum sequuntur. Discipulis tuis et litteris Graecis Romanisque te dedisti; ergo te omnes meritissimo pro tua eximia opera amant.<sup>4</sup> Solus professorum in collegio tuo, ter praemio disciplinae inspirantis honoratus es.

<sup>1</sup> cf. Cicero, *De Divinatione* 2.78 *antiquiorem. . . sibi fuisse laudem . . . quam regnum et possessiones suas.*

<sup>2</sup> cf. Horace, *Carmina* 3.30. 1-4 *exegi monumentum aere perennius/. . . quod non imber edax, non Aquilo impotens/possit diruere.*

<sup>3</sup> cf. Horace, *Carmina* 3.30.6-8 *non omnis moriar multaque pars mei/vitabit Libitanam; usque ego postera/crescam laude recens.*

<sup>4</sup> cf. Cicero, *de Oratore* 1.234 *quem omnes amare meritissimo pro eius eximia suavitate debemus.*

Mens tua discendo alebatur et cogitando <sup>5</sup>—principio in oppido Punxsutawniensi, marmotis monacibus insigni, deinde in universitate de Elihu vocata, ubi gradum Doctoris Philosophiae adeptus es. Praeter disciplinam et scripta tua, tanto opere multarum societatum classicarum causa laboravisti, praecipue in urbe caritatis fraternae et in civitate Pennsylvaniae. Sume praemium quaesitum meritis tuis.<sup>6</sup> Plaudamus Philip N. Lockhart.

*College of New Rochelle*

BARBARA McMANUS

<sup>5</sup> cf. Cicero, *de Officiis* 1.105 *hominis. . . mens discendo alitur et cogitando.*

<sup>6</sup> cf. Horace, *Carmina* 3.30. 14-16 *sume superbiam/quaesitam meritis.*

OVATIO: JOSEPH F. O'CONNOR  
*Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,  
utile proposuit nobis exemplar Ulixes.<sup>1</sup>*

Sic Horatius noster laudat Homerum nostrum. Tu, laudator Horatii, fautor Homeri, optime meritis es laudes huius societatis atque favorem multorum magistrorum, praeterea eorum qui velint docere teneros discipulos prima elementa et amorem perpetuum exemplarium litterarum.<sup>2</sup> Te ducente, hi doctores tam utuntur dulci flavoque liquore fabulae Ulixei, tam utuntur nectare carminum Vergilii Ovidiique ut puerorum puellarumque aetas improvida laetificetur.<sup>3</sup> Tuam civitatem natalem et ab infantia usque ad gradum Doctoris Philosophiae nutrientem, civitatem castaneis nucibus insignem, honoravisti. Maxima cum industria profuisti Collegio Georgiopolitano et Sodalitati Classicae urbis ad ripas Potomaci,<sup>4</sup> sustinens onera gravissima ut maximus Atlas axem umero torquet stellis ardentibus aptum.<sup>5</sup> Antiquitatis tempore in omni—et nunc etiam in aetate Byzantia—voluisti vitam moresque excellere et melius intellegi: <sup>6</sup> igitur fines et studiorum et animorum nostrorum amplificavisti. Nec sine te dias in luminis oras exoriuntur duo libri magni momenti: unus de docendis fabulis Graecorum Romanorumque; alter de natura rerum classicarum in academiis nationis nostrae. Quibus editis, studium commune nostrum fit laetum et magis amabile.<sup>7</sup> Plaudamus Joseph F. O'Connor.

*University of Maryland*

JUDITH P. HALLETT

<sup>1</sup> Horace, *Epistles*, 2.2.17-18.

<sup>2</sup> cf. Horace, *Satires* 1.1.25-26 *ut pueris olim dant crustula blandi doctores,/ elementa velint ut discere prima.*

<sup>3</sup> cf. Lucretius, *De Rerum Natura*, 1. 938-939 (*sed veluti pueris absinthia taetra medentes/cum dare conantur, prius oras pocula circum/contingunt mellis dulci flavoque liquore,/ut puerorum aetas improvida ludificetur.*)

<sup>4</sup> cf. Georgetown University stationery letterhead: *Ad Ripas Potomaci de Marylandia. Collegium Georgiopolitanum.*

<sup>5</sup> cf. Vergil, *Aeneid* 4. 481-2 and 6. 796-7 (evoking Ennius, *Annales* 29 Vahlen, *qui caelum versat fulgentibus aptum*): *ubi maximus Atlas/axem umero torquet stellis ardentibus aptum.*

<sup>6</sup> cf. Lucretius 1.26-27 *quem tu, dea, tempore in omni/omnibus ornatum voluisti excellere rebus.*

<sup>7</sup> cf. Lucretius 1.22-25 *nec sine te quicquam dias in luminis oras/exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,/te sociam studeo scribendis versibus esse/quos ego de rerum natura pangere conor.*

## OVATIO: DAVID L. RHODY

In parvo oppido notissimae hortorum civitatis, quae trans flumen Delavariense iacet, est magna solidaque academia, in qua magis quam viginti annos magister linguam Latinam fideliter et eloquenter docuit. Hunc virum hodie honoramus.

Initio litteris Graecis Latinisque studuisti apud Collegium Woosteriense. Postea in hac Universitate Villanova, Sigillo Excellentiae Lingua Latina tibi tributo, gradum Magistri Artium adeptus es. Tuum studium in rebus antiqui mundi tetendit te ad Academiam Americanam Romae, ut aestate se assuefaceres cum illis antiquissimis monumentis urbis Romae. Ex quo gradum artium Iurisprudentiae legum quoque perfecisti.

Totum tempus tui docendi, fuisti ingeniosissimus in arte praecipendi iuvenibus discipulis. De te, "nostro magistro," nullus permultorum, quibus instituisti, etiam unum singulumque malum verbum dicere potest. Eis fuisti semper "dedicatus, diligentissimus et inspirans."

Quam libenter nos laudamus te his scriptis pro tuis multis meritis in creberrimis tuae amatae academiae aulis et pro tuis contributionibus multis sodalitatibus comitatum, quae etiam te proprium dicunt.

In explorationem eruditionis linguarum classicarum multos alios ducere contineas. Plaudamus David L. Rhody.